

† R. P. Bern. Lijdsman (1881-1950)

(Prov. Holl.)

Bernardus Ioannes Lijdsman natus est Bredae in dioecesi Bredana die 18 Martii 1881 e parentibus piis atque satis fortunatis. A teneris iam annis in voto habebat sacerdotio aliquando augeri et post sacram missionem in urbe natali a Nostris praedicatam ardens desiderium Congregationi nomen dandi illum non relinquebat; itaque factum est, ut anno 1893 ad Iuvenatum Ruraemundensem profectus sit. Peractis studiis humanioribus et novitiatu magno cum fervore transacto, die 29 Septembris 1900 votis perpetuis Congregationi sese adstrinxit. Wittemium profectus, feliciter studiis incubuit, quod

testantur praedicata ipsi in periculis oralibus attributa: Bis tantum notam « optime », in ceteris omnibus notam « excellenter » obtinuit. Apud omnes confratres in Studentatu gratosus erat ob animum hilarem, in colloquiis tempore recreations sat verborosus, saepius sermonem habens cum certa quadam unctione mixtum, ita ut a confratribus, a S. Bernardo Patrono suo, iocose nomen « Doctoris mellifui » obtinuerit.

Absolutis studiis, vitae cursus ab anno 1909 magis magisque in scientificam partem directus est. Eum, interim lectoris in Studentatu munere functum, anno 1911 Superiores in Almam Urbem miserunt, ut in Instituto Biblico studia perageret, sed mox, mutato consilio, studio Iuris Canonici destinatus est, quibus studiis completis solemniter Magister seu Doctor proclamatus est, simulque Baccalaureus in Iure Romano. Illis titulis decoratus Wittemium rediit, occupaturus cathedram Iuris ab anno 1913 usque ad 1930. Totum se praelectionibus dedit, ast plures etiam labores durante lectoratu suscipere potuit:

1) Orationes seu scholas habuit inter alia in « Sociale Studieweek » (in Hebdomade de rebus socialibus), in « Volksuniversiteit » (Academia populari), in « Limburgse Katholiekendag » (Conventu Catholicorum dioecesis Ruraemundensis), in variis cursibus ad doctrinam rectumque cultum, in cursibus apologeticis atque scientiae religionis pro praeceptoribus utriusque sexus.

2) Apostolatu calami, collationes permultas scripsit in foliis diurnis atque in variis scriptis periodicis. Praeprimis mentio facienda est de eius opere: *Introductio in Jus Canonicum cum uberiori Fontium studio*. Dolendum sane, quod volumen tertium absolvere non potuit.

3) A consiliis erat praeclarorum virorum, praesertim ab anno 1918, novo Codice Iuris Canonici promulgato. Tractavit hoc tempore de iurisdictione Ordinis Praemonstratensium in moniales eiusdem Ordinis et invitante Abbate Generali Roman petiit, illa de re tractaturus.

Fructuosa haec studia ad tempus interrupta sunt, eo nominato a secretis Em. Cardinalis G. v. Rossum, qua in functione ab omnibus summam laudem adeptus est affabilitate et obsequio in omnes qui eum adierunt. Ipsi fideli Secretario contigit, ut Eminentissimo Principi morienti assistere potuerit (1). In patriam reversus, paulo post in nominationibus triennialibus sedem Rectoris Wittemiensis occupans, magna pietate collegit omnia, quae ad defunctum Cardinalem spectabant, quae omnia in museo erecto deposuit. Eodem rectoratus tempore ab Ill. Episcopo Ruraemundensi renuntiatus est promotor fidei in processu dioecesano beatificationis Petri Iosephi Savelberg, fundatoris Congregationis fratrum laicorum atque religiosarum.

Arduissimum vero munus ipsi iniunctum est a Rev.mo Patre Generali, qui Patrem Lijdsman nominavit Visitatorem atque Vice-Provincialem Provinciae Germaniae Inferioris tempore processuum de rebus pecuniariis, illorum a regimine Nazistico. Modestia prohibet, quominus singula persequamur. Sufficiant, quae Pl. R. P. Provincialis Germaniae Inferioris scripsit, accepto nuntio mortis confratris nostri: « Debemus maximas gratias erga defunctum, qui in difficillimis temporibus totum animi sui vigorem Provinciae nostrae contulit ».

Ad Capitulum generale 1936 P. Lijdsman ut vocalis Provinciae Hollandicae deputatus, ibi scientia atque consiliis omnium animos ad se convertit.

Ab anno 1942 usque ad 1946, grassante bello gravissimo, Rector domus Buscoducensis animo suo hilari, bonitate atque prudentia spiritum bonum in communitate conservavit auxitque et erga externos, praesertim pauperes atque evacuatos, valde liberalem se praebeuit.

Ultimis vitae annis ab Archiepiscopo Ultraiectensi Em. Card. J. de Jong difficile atque delicatum mandatam accepit. Una cum duobus aliis sacerdotibus investigandum ei erat de veritate donorum extraordinariorum, quibus, ut fama ferebat, quaedam puella a Deo esset ditata. Ex hoc mandato patet, quam vera sint verba Em. Dom. Cardinalis de Jong ad Adm. R. P. Rectorem Wittemiensem: « Patrem Lijdsman semper maximi

(1) *Analecta* XI (1932), 266. Necrologium (ib. p. 366-76) exaratum est a P. Lijdsman.

feci ut sacerdotem atque religiosum vere exemplarem. Reverentiae Tuae ignotum non est, eum me ultimis annis saepius adiisse. Semper id in ipso admiratus sum, quod tam diligenter omnia scrutabatur ».

Sensim sine sensu confrater usus est valetudine minus bona. Primo id apparuit in exercitiis spiritualibus, quae sororibus religiosis in urbe Schiedam praedicavit, et ob profusionem sanguinis in stomacho ultimis S. Sacramentis muniri debuit. Quanquam post multum temporis paululum se refecit, valetudo tamen arteriosclerosi et superveniente inflammatione vesicae valde decrevit. Die 5 Mai 1950 ultima vice S. Missae Sacrificium celebravit. In infirmitate apparuit religiosus solidae virtutis, numquam de aliqua re conquerens, accipiens semper omnia animo grato et contento, devote osculans Crucem, quae ei porrigebatur, atque repetens orationes iaculatorias, quas alii praeibant. Magno solatio illi fuit benedictio paterna Rev.mi Patris Generalis, quam paucis diebus ante mortem accepit. Die 15 Iunii animam suam candidam Deo reddidit.

R. P. Lijdsman fuit genuinus filius S. Alfonsi, fervidus amator Iesu et Mariae, exemplum constantis probataeque virtutis, obsequiosus observator Regulae, excellens scientia, eminens humilitate et simplicitate, confrater ab omnibus amatus. Corpus appositum est in crypta coemeterii Wittemii, erspectans resurrectionem gloriosam. R.I.P.

A. DANKELMAN